



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Vita Marini Papae I. Qvi Perperam Martinvs II. Nominatvr.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO
CHRISTI
881.NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

* *Finibus Rhemensis parochia.*] Hodie *Fimes* vocitant, celebre opidum martyrio & cultu sanctæ Macræ virginis. Olim *Fines* dicebant, quia in finibus pagi Rhemensis & Sueffionici. Itinerarium vetus. *Augusta Suefforum. Fines. Durocortorum Rhemorum.* Synodi ergo apud martyrium sanctæ Macræ plures habita memorantur. Huius autem, in qua versamur, meminit Hincmarus epistola III. capite V. XI. & XXXVII. item epistola IV. capite I. & XVII. & aliis locis. Meminit etiam epistola, quæ non exstat, ab hac Synodo directa ad Ludouicum regem in epistola quam eidem regi scripsit pro electione episcopi Beluacensis.

* *Raptore autem.*] Hincmarus epistola IV. capite XVII. De raptis compescendis, & pace restituenda, ex sacris scripturis, ecclesiasticearum legum definitionibus, ac legum sacrarum constitutionibus, sufficienter ex synodali Conuentu apud martyrium beatæ Macræ nuper habito collecta fratri huius regis nostris nuper defuncto per episcopos misimus.

VITA MARINI PAPÆ I.

QVI PERPERAM

MARTINVS II. NOMINATVR.

MARINVS Galleſio opido oriundus, post triduum ab obitu Ioannis VIII. Kalendis Februariis vnanimi consensu totius cleri, non ex diacono sed episcopo electus est pontifex anno Domini 882. tempore Caroli III. & Basili imperatoris. Sedit annum vnum & dies viginti. Hic dum sancta Romanæ ecclesie diaconus cardinalis esset, missus est cum Donato atque Leone Constantinopolim ad insinuandam Photio anathematis sententiam, qua a Nicolao papa percussus erat. Cum Donato & Stephano tempore Hadriani II. iterato munere legationis apostolicæ functus, Constantinoli Photium depositum, Ignatium restituit, atque sacrosanctæ oecumenicae Synodo octauæ præsedidit. Bulgari eum sibi episcopum dari apud Hadrianum II. institerunt; sed non impetrarunt. Creatus a Ioanne pontifice episcopus, tertiam legationem obiturus, tertio missus est Constantinopolim, ad ruinam illam reparandam, quæ per Petrum, Paulum & Eugenium tres sedis apostolicæ istuc pro Photio restituendo ad Synodus ablegatos facta

Sff iij

Quæ sequuntur vi-
ta pontifi-
cum, ex
cardinalis
Baronii
annalibus
aliisque ho-
rum sed-
lorum scri-
ptoribus
sunt colle-
cta per Se-
uerinum
Binium.
Marinus
quando
pontifex
factus?
Ante pon-
tificatum
quid ge-
stum ab eo?

Marinus fit
gloriosus
confessor
Christi.

Quid pon-
tifex fecer-
it?

Formosum
restituit.

erat. Cumque ibidem summa animi constantia coram Basilio imperatore , cuncta quæ prædicti tres legati perpetram gesserant , irrita reddidisset , triginta diebus , inquit Stephanus in epistola ad Basilium imperatorem , carcere detentus fuit. Hac confessionis gloria corona redimitus , ab eodem Ioanne VIII. alegatus est ad Athanasium Neapolitanæ vrbis episcopum & principem , vt si foedus , quod ille cum Saracenis initum habebat dissolueret , eumdem Athanasium a sententia excommunicationis , quæ Synodalij iudicio in eum lata erat , absolueret. Fuisse eumdem sedis apostolicæ arcarium indicat Ioannes papa epistola 294. Initio pontificatus sui Photium , omniaque eius acta ad munus episcopale spectantia , damnauit , atque acta Conciliabuli pseudoecclesiæ plane reprobauit. Qua de causa Basilius imperator grauiter offensus , furore graui incensus , Romam scribens dicebat , Marinum non esse pontificem , eo quod alterius ecclesiæ episcopus iam ante ordinatus fuisset , aliaque multa aduersus eumdem papam sanctissimum effutiens , solio pontificio eum deiicere satagebat. Quid autem pro eodem defendendo Stephanus papa successor Marini ad Basilium rescriperit , ex epistola eiusdem Stephani infra patebit. Ea , quæ Ioannes papa perpetram egerat , rescissurus , inter alia Formosum episcopum Portuensem munere apostolatus apud Bulgaros præclare functum , ac aliarum legationum meritis exornatum , quem Ioannes episcopatu deposuerat , & iuramento obstrinxerat , se nunquam ad sedem episcopalem redditurum ; sed laica communione contentum deinceps quieturum , in Vrbem & episcopatum reuocauit , atque eumdem in pristinum statum restituit. Qua de causa a Ioanne depositus , quove modo a Marino restitutus fuerit , non constat : potuit sine dubio eum a iuramento iniuste exacto absoluisse , & sententiam Ioannis papæ velut iniquam , priuatoque affectu fortasse prolatam , retractasse. Vtrum horum factum fuerit , incertum est ; ideoque mirum , quod rerum gestarum ignari , ob reassumptum pontificatum Formoso obloquantur. *Haec ex diuersis epistolis pontificum Baronius.* Fulconi Rhemensi archiepiscopo , qui Hincmaro surrogatus erat , post emissam orthodoxæ fidei professionem , pallium concessit. *Fuloardus in vita Fulconis.* Scholam An-

glorum Romæ existentem rogatu Aelfredi regis a tributo liberam fecit. *Matthæus VVestmonasteriensis.* Cumque locis omnibus supra allegatis Marinus nominetur, recte Platinam erroris redarguit Onuphrius, quod aliter quam Martinum appellantes similitudine nominis deceptos esse scribat. Huius temporibus, Northmanni Treuirorum, Tungrorum, Vbiorum, aliorumque circumiacentium populorum vrbes & opida incendiis & rapienis deuastarunt. *Ex actis sanctæ Gudilæ & annalibus Francorum Baronius.* Photius schismaticus hoc tempore Aquileiensi archiepiscopo imperito & schismatico de processione Spiritus sancti respondens, causam dedit, quod sicut iam diu ante hæc tempora Hispaniarum & Galliarum ecclesiæ; ita etiam ad retundendam Photii eiusque sectariorum de processione Spiritus sancti hæresin, Romana ecclesia additamentum illud, *Filioque*, ad symbolum Constantinopolitanum posterioribus hisce sæculis adiecerit, & in ecclesia publice decantauerit. *Quo tempore & fine, quo uero auctore & modo id factum fuerit, ex Aetheriano, & Concilio Florentino refert Baronius anno 883.*

numero 34. & sequentibus. Marinus apostolico munere laudabiliter perfunctus migravit ex hac vita xv. Kalendas Februarii anno Redemptoris 884. cum in pontificatu annum vnum & dies viginti sedisset. Post obitum eius sedes biduo vacauit.

Sitne Marinus, an Martinus nominandus?

Marini obi-
tus quando
factus?

PRIVILEGIUM MARINI PAPÆ I.

MONASTERIO SOLEMNIACENSI CONCESSVM.

Marinus episcopus seruus seruorum Dei dilecto abbati Danieli ex canobio sancti Petri Solemniacensis, quod olim a beato viro Elio est constructum, successoribusque tuis, ac monachis inibi nobiliter degentibus, in perpetuum.

CONVENIT enim nostro pontificio, vt quantum præ omnibus eminet dignitate, tanto supra vniuersos eniat serenissima pietate. Postula lastis itaque a nobis, vt præfatum cœnobium sub defensione ac tuitione beatorum apostolorum Petri & Pauli ac nostra statueremus, sicut factum legimus ab antecessore nostro beato viro papa, po-

stulante nobilissimo Francorum rege Dagoberto, & constructore ipsius locis sanctissimo viro Eligio episcopo Noviomageni, quatenus quieti ac tuti esse per futura tempora valeatis. Nos vero, vestram sanctitatem agnoscentes, vestraeque religioni assensum præbentes, tanta alacritate latto animo concedimus, quanto vos Deo propinquiores in sacra conuersatione cognoscimus fore. Igitur iuxta petitionem vestram, huiusmodi priuilegium præsentis auctoritatis nostræ decreto eidem venerabili monasterio vestris futurisque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus. Et sicut nobilissimus Francorum rex Dagobertus, & gloriosissimi Augusti, Carolus & filius eius Ludouicus, & filii & nepotes eorum, Carolus imperator, & eiusdem Caroli filius Ludouicus, nec non & Karlomanus Ludouici filius, qui nunc regnum Francorum feliciter gubernare videtur, dueti diuino amore, de villis ac facultatibus seu stipendiis propriis, vel quolibet modo ibi a fidelibus viris condonatae res, vel a vobis quoquomodo acquisitæ sunt, sicut in præceptis prædictorum regum continentur, vel in charta eiusdem monasterii fundatoris insertum est, scilicet Eligii episcopi, omnia illibata & inconnulsa nostræ auctoritatis priuilegio confirmamus. Damus etiam licentiam, propter persecutionem infidelium Christianitatem deuastantium, munitionem ibi fieri. Constituimus alia auctoritate beati Petri, ut nullus regum, nemmo antistitum, vel abbatum, seu quilibet sua præditus dignitate, de iis quæ in prælibatis præceptis continentur, vel in futuro ab eis, vel a quibuslibet de proprio fuerint his specialibus vñibus iure collata, sub cuiuslibet causæ occasione siue specie, quidquam minuere vel auferre, vel aliis quasi piis causis pro siue avaritiæ excusatione præsumat concedere. Sed cuncta, quæ vñibus monachorum vel ecclesiæ oblata sunt, vel offerri contigerit, perenni tempore absque vlla inquietudine ipsis, quibus concessa sunt, profutura permaneant. Statutum etiam, ut nullus episcoporum, seu comitum, mansiōnatum ibi, vel paratas, vel stationes requirere seu exigere præsumat: sed liceat seruis Dei sine aliqua inquietudine Deo seruire, & hospitalitatis benevolentiam, prout eis libuerit, cunctis fidelibus impendere. Placuit huic paginæ inseri, ut obeunte abbe

præ-

HADRIANI PAPÆ III. VITA. 513

prædicti cœnobii, nullus ibi, quacumque subreptionis ambitione, abbatem statuere præsumat, nisi quem eiusdem loci monachi secundum authenticam & regularem institutionem ex seipsis elegerint ordinandum. Si quis autem hanc paginam constitutionis agnoscens contra eam venire tentauerit, sit alienus a sacratissimo corpore Domini Iesu Christi, & nisi præsumpta correxerit, vel male ablata non restituerit, vltionem cum Iuda proditore excipiat, & beatum Petrum sentiat hostem. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis inueniant. Scriptum per manum Zachariae scribarii sanctæ Romanae ecclesiæ mense Maio, indictione prima. Bene valete. Pridie Idus Iunias, per manum Valentini ecclesiæ Portuensis episcopi, regnante in perpetuum Domino Deo nostro. Anno pontificatus domini Marini yniuersalis papæ primo, indictione prima.

VITA

ANNO
CHRISTI
884.

HADRIANI PAPÆ III.

HA DRIANVS III. natione Romanus xiiii. Kalendas Februarii anno Redemptoris nostri 884. tempori- bus Caroli III. & Basili imperatoris creatus est pontifex: sedit annum vnum, menses tres, dies decem & nouem. Solicitatus a Basilio imperatore ut cum Photio in rebus fidei & religionis communicaret, non tantum non peti- tioni eius acquieuit, verum exemplo predecessoris sui Marini eumdem tamquam laicum acerrime est infectatus. Quo facto imperator grauissime contra eum commotus, hostiles ei literas contumeliis plenissimas transmisit. Hadriano prius hac vita defuncto, quam literas imperatoris minacissimas accepisset, accepit eas Stephanus, reddiditque ad Basilium eam epistolam, quam supra in appendice octauæ Synodi impressam inuenies.

De electione pontificis decreuit, ne in ipso creando imperatoris auctoritas exspectaretur; idque ideo, vt clerici & populi libera sint suffragia. Eius tempore Cassinense monasterium a Saracenis incensum esse scribit Leo

Concil. Tom. 24.

Ttt